



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

12. Quartus, per Aiuncta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

λεπτόντι καὶ ἡμιεῖς, καὶ ἐποβάλλειν τοὺς
 δακτύλους ἐσφῆς ὑπὸ πικνῆτι ἀρσει καὶ δι-
 στα, καὶ βαίνειν ὀρθοῦν, καὶ σύνφωνα εἶναι τὰ
 μέλη πρὸς τὸν χορὸν, καὶ τὴν ἁρμονίαν ἐκείνην
 διαφυλάττειν τὸ ἴδιον, τῆς φρυγίᾳ τὸ ἔνθεον,
 τὴν ἰωνίαν τὸ βακχεῖον, τῆς δωρίου τὸ τεμ-
 νόριον, τῆς ἰωνικῆς τὸ γλαφυρόν. ταῦτα μὲν
 οὐκ πάντα ἐμαρμάθηκα παρὰ σοῦ. id est,
 docuisti me iam exacte adaptare tibiam, atq;
 in eius lingulam inspirare te uel quiddam ac
 modulatum, tum commode facillique conta-
 ctu submittere digitos in crebra sublatione
 ac demissione uocis, adhuc ad numerum in-
 gredi, & ut modi congruant ad chorum, præ-
 terea quod cuique harmoniæ generi propri-
 um est obseruari, Phrygiæ diuinum impe-
 tum, Lydiæ Bacchicum furorem, Doriæ gra-
 uitatem ac modestiam, Ioniciæ iucunditatem.

Secundus per antecedentia.

CAPVT X.

Hic admodum affinis est: quoties non
 contenti semel exitum rei proponere, ex
 quo reliqua quæ præcesserunt, perscrutentur
 intelligi, singulatim ea quoque commemoramus,
 per quæ ad eum exitum peruentum est. Huius
 præceptionis hoc erit exemplum: Cicero
 Catilinæ conatus oppressit: id ita locupletabi-
 lis, Catilinæ nefarios conatus per iuuenes
 perditissimos, totius Romanæ ciuitatis exitum
 atque interuentionem molientes, M. Tullius
 Cicero consul sua sagacitate statim odo-
 ratus est, singulari uigilantia peruestigauit,
 summa prudentia reprehendit, miro in Rem-
 pub. studio prodidit, incredibili eloquentia
 conuicit, grauissima auctoritate repressit, ar-
 mis extinxit, magna felicitate sustulit.

Item aliud. Ex ea uirgine filium sustulit.
 Hac ratione dilates licebit. Eam uirginem,
 quod esset singulari forma, miserè deperibat.
 Deinde amoris impatiens, simplicem puellæ
 animum promissis sollicitauit, muneribus
 corrupti, blanditijs delinijt, officijs in mutu-
 um amorem pellexit, improbitate uicit, deni-
 que consuetudinem cum ea habuit, ac deuir-
 ginauit. Aliquanto post tempore uerus uir-
 ginis cepit tumescere, factu uidelicet con-
 cepto. Demum exactis nouem mensibus, par-
 tuijt ac puerum peperit.

Item aliud exemplum. Urbem cepit, ita
 poterit ampliari. Principio feciales rem repe-
 titum misit, qui pacis etiam condiciones of-
 ferrent: quas cum oppidani non acciperent,
 copias undique comparat, adiuuet exercitum
 unam cum machinis ad urbis mœnia. Illi con-
 tra è muris acriter hostem repellunt, tandem
 hic superior in congressu, consensit mœ-
 nibus urbem inuadit, ac rerum potitur.

Tertius per causas.

CAPVT XI.

Hoc rursus non ita vehementer abhor-
 ret, quoties, rem non nudam exponimus,
 sed altius etiam causas reperimus, à quibus
 initijs sit profecta. Veluti si cui non satis sit
 dixisse, bellum intercessisse Gallis cum Nea-
 politanis, uerum etiam addat, quæ fuerint si-
 multatis cause, quis instigator, quæ suscipi-
 endi belli occasio, quæ uincendi spes, quæ u-
 trisque fiducia. Hoc ut dilucidius, quam ut
 egeat præceptione, ita difficile sit exemplum
 nisi plurimis uerbis proponere. Quare super-
 se debimus, & lectorem ad Salustium ac Liui-
 um relegabimus.

Quartus per adiuncta.

CAPVT XII.

Non admodum ab his discrepat, quoties
 non simpliciter proponimus negotium,
 sed enumeramus etiam illa, quæ negotium
 comitantur, uel consequuntur. Quod genus
 sit, Bellum tibi acceptum feremus. hoc pacto
 poteris dicere rem. Exhaustum in barbaros
 milites ærarium, fractam laboribus iuuentu-
 tem, proculcatas segetes, abacta pecora, in-
 census passim uicos ac uillas, desertos agros,
 euerfa mœnia, compilatas domos, direpta fa-
 na, tot orbos fenes, tot orphanos liberos, tot
 uiduas matronas, tot uirgines indigne con-
 stupratas, tot adolescentium licentia deprau-
 atos mores, tantum funerum, tantum luctus,
 tantum lachrymarum. Præterea extinctas ar-
 tes, oppressas leges, oblitteratam religionem,
 confusa diuina humanaque omnia, corrupta
 ciuitatis disciplinam: uniuersum, inquam,

hoc malorum agmen, quod ex bello nas-
 citur, tibi uni feremus acceptum,
 siquidem belli fueris

author.

D d 1

Quint